



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Johannis Michaelis Dilherri Contemplationes, Et Suspiria Hominis Christiani

Dilherr, Johann Michael

Norimbergae, 1660

XLI. De iis, quae post Sacramenti Coenae perceptionem, meditanda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10209

CONTEMPLATIO-
 NUM ET SUSPIRIO-
 RUM HOMINIS
 CHRISTIANI

XLI.

*De iis, quæ post Sacramen-
 ti Cæna perceptionem
 meditanda.*

Loquatur servus tuus verbum tu-
 um, in auribus tuis: ne irascaris fa-
 mulo tuo, Domine! Rex meus.

Tu immolâsti victimas tuas: miscu-
 isti vinum, & proposuisti mensam tu-
 am: misisti ancillas tuas; ut vocarent
 ad arcem: si quis esset parvulus, veni-
 ret ad te.

Tu dixisti: egredimini, filiæ Sion!
 & videte Regem in diademate, quo
 coronavit eum mater ejus, in die de-
 sponsationis ejus, in die lætitiæ cor-
 dis ejus.

Tu dixisti, Domine! servo tuo:
 exi citò in plateas & vicos civitatis: &
 pauperes ac debiles, & cæcos ac clau-
 dos

336 CONTEMPLATIONES
dos huc introduc: & compelle intra-
re; ut impleatur domus mea.

Vocatus ego egressus sum: veni, vi-
di: introductus gustavi.

Non avertisti Te à famulo tuo; nec
dixisti: non videbis faciem meam.
Ostendisti Te mihi, consolator meus!
vidi Te, lumen oculorum meorum;
percepi gaudium spiritus mei; sensi
lætitiā cordis mei. Apparuiſti mihi,
delectatio mea magna! solatium me-
um dulce! Domine, Deus meus! vita
mea! & gloria tota animæ meæ! In-
veni Te desiderium cordis mei! tenui
Te, amor animæ meæ!

O retineam Te, vita animæ meæ!
diligam Te, Domine! fortitudo mea!
Domine! firmamentum meum! & re-
fugium meum! & liberator meus!
Amem Te, Deus meus! turris fortitu-
dinis meæ, & spes mea dulcis, in omni
tribulatione mea.

Amplectar Te bonum; sine quo ni-
hil bonum: fruar Te optimo; sine quo
nihil est optimum.

Exaltabo Te, Deus meus & Rex
meus!

338 CONTEMPLATIONES
pacifica; custodia mea tuta; portio
mea bona; salus mea sempiterna; mi-
sericordia mea magna; patientia mea
robustissima; victima mea immacu-
lata; redemptio mea sancta; spes mea
firma; charitas mea perfecta; resur-
rectio mea vera; vita mea æterna; ex-
ultatio & visio mea beatissima, & sine
fine mansura.

Tu me, Deus meus! peccatorem,
indignum famulum tuum, nullis meis
meritis, sed solâ dignatione misericor-
diæ tuæ satiare dignatus es pretioso
corpore & sanguine Filii tui, Domini
nostri Jesu Christi. Quæ esca? qui po-
tus? O memoriale mortis Domini!

Quid retribuam Domino, pro om-
nibus, quæ retribuit mihi? Scio Do-
mine, Rex meus! quia ex hoc, quod
fecisti me, debeo tibi me ipsum; &
quia me redemisti, & pro me homo fa-
ctus es; deberem tibi plusquam me; si
haberem: quanto tu eo major es, pro
quo dedisti te ipsum!

Ecce nunc, per te, plus habeo: nec,
quod habeo, dare tibi possum, sine te.
Sed

*Sed accipe tu me; Et trahere
me ad te: ut tuus sim imitacione
& dilectione; sicut tuus
sum creatione & acquisitione.*

Tuum, Domine! sit totum id, quod
vivo: & totus totum me tibi offero.
Totus spiritus, totum cor, totum corpus,
tota vita mea vivat tibi, Vita mea
dulcis! quoniam totum me liberasti;
ut totum me possideres; totum me re-
fecisti; ut totum me haberes. Sed
quomodo me habere potes? nisi san-
cta hæc communicatio mihi non sit
reatus ad poenam; sed intercessio salu-
taris ad veniam, armatura fidei, & scu-
tum bonæ voluntatis; nisi sit vitiorum
meorum evacuatio, concupiscentiæ
& libidinis exterminatio, charitatis &
patientiæ, humilitatis & obedientiæ
augmentatio: contra insidias inimi-
corum omnium, tam visibilium, quam
invisibilium, firma defensio; motuum
meorum, tam carnalium, quam spiri-
tua-

340 CONTEMPLATIONES
tualium, perfecta quietatio; in te uno
ac vero Deo firma adhæsio?

Ah! impetrem hæc abs te, Misericordissime! qui, ut impetrarem, supplicare iussisti: quò ad illud ineffabile convivium possim pervenire; ubi tu, cum Filio tuo & Spiritu sancto, sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, & felicitas perfecta. Amen.

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XLII.

De die piè inchoando.

EXpergiscor ex somno, animula
mea! expergiscar etiam aliquando
ex sepulchro: quod perpetuò tecum
perpende.

Promicat sol ex nubibus, & diem
post tenebras reducit: illucescet etiam
aliquando dies æternus, post noctem
diurnam; & Sol justitiæ, Christus
Jesus,